

DISSE^{1720,14}
TATI¹⁸
O IVRIDICA
DE

IVRE EPITAPHIORVM

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, GVESTPHALIAE,
RELIQVA,

CONSENTIENTE ILLVSTRI ICTORVM ORDINE

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO

DOMINO

NICOLAO PRAGEMANNO

PH. ET I. V. D.

AVLÆ AC REGIMINIS SAXO-VINARIENSIS
ADVOCATO ORDINARIO

PATRONO, PRÆCEPTORE AC HOSPITE SVO

ÆTATEM DEVENERANDO

DIE VII. DEC. A. O. R. M D C C X X.

PUBLICÆ DISQUISITIONI SVBMITTIT


AVTOR

SAMVEL DIEZ

VLMA - SVEVVS.

IENÆ LITERIS FICKELSCHERRIANIS.





ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO
HENRICO DE BESSERER,
à Thalſingen/
DYNASTIAE LEIPHEIMENSIS
PRAESIDI SVPREMO
LONGE MERITISSIMO, CELEBERRIMOQUE
DOMINO AC PATRONO SVO
GRATIOSO.

ITEM QVE
V I R O
PRAENOBILISSIMO, PRUDENTISSIMO, SPECTATIS-
SIMO QVE
D O M I N O
WOLFFGANGO THOMAE
SCHELLNEGGERO
INCLVTAE REIPUBLICAE VLMENSIS
SENATORI MERITISSIMO
ANNONAEQVE PUBLICAE h.t. PRAEFECTO
PERQVAM CONSPICVO
PATRONO, FAVTORI ET AFFINI SVO
OBSERVANTISSIME COLEND0

DENIQUE

NOBILISSIMO ATQUE PERSTRENUO
DOMINO
MATTHIAE ZECHIO,

PRAESIDI VLMENSIS SIGNIFERO
OPTIME MERITO

FAVTORI ET AVVNCVLO SVO
OMNI HONORIS ET AMORIS CVLTV PROSEQVENDO.

MANVLD DICE

HOC
QVALECVNQVE STVDIORVM SVORVM SPECIMEN
EA
QVA PAR EST
REVERENTIA ET SVBMISSIONE
IN
DEVOTI GRATIQVE ANIMI
TESSERAM
CVM VOTO OMNIGENAE PROSPERITATIS
STRENÆ LOCO
OFFERT
AC SE SIMVLQVE STVDIA SVA
CONSECRAT
SAMVEL DIEZ.

DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI

DOCTISSIMO

NICOLAVS PRAGEMANNVS

QVAM mihi mancupasti, dissertationem de jure epitaphiorum, eandem, qvam accepi, redidi; sed non in eodem statu, qvo eam accepi. Ut enim de hoc ultimo dicendi capiam primordia, qvam valida erat corporis mei affectio, cum primi inter nos de hoc themate sermones miscerentur, pri-mæque Tuæ lineaæ mihi exhiberentur. Sed, qvod dixit, nescio qvis, (a) non sentire nos, qvod vires decrescant, sentire autem, qvod decreverint; id ego, cuius uno momento plane inoffensa erat valetudo, altero statim vix signum vitæ relinquebat, meo danno sum perdoctus. Hoc ipsum vero partim in causa fuit, ut, cum scribere nihil potuerim, dissertationem tuam tantum perlegerim, & pauca admonendum, præsenti tibi dicta, tuæ lituræ corrigenda reliquerim.


(a) Rem ipsam pertraetta BACO DE VERVLAMIO Sermon. fidel. cap. 30.
Operum edit. Londonens. de 1638. F. p. 214. edit. Amstelod. de
1662. 12. Tom. I. p. 153.

querim. Non tamen id solum in causa fuit, sed altera adhuc supereft, ut tua maneat dissertatio, & qvod mihi abunde testatur arctius, qvod Tecum habeo, commercium, id aliis hæc ipsa testetur dissertatio, Tuum in mansuetiores musas studium, in juris prudentiam amorem, in parentes pietatem. Unde ne nunc qvidem, licet qvæ Dei gratia est, vires sensim redintegrem, aliquid adjicio, sed hunc tui ingenii foetum tibi remancupo, ut inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione; qvæ translatitia est juris nostri formula. (b) Gratulor interim & hoc ipsum Tibi specimen, & qvævis prospera impostum opto, ut, qvod erectum est Maxime Rev. Domino Parenti per pientissimæ Matris Tuæ obitum, haud vulgare solamen, id tu abunde resarcias, cumque illam hæc vita vobis reddere non pos sit, de annis illius vestri utriusque, ex pervetusto acclamandi ritu (c), anni adanguntur, diuqve, ut verbis utar, a Te ipso laudatis, (d) in altero ecclesia antistitem habeat, in altero respublica virum.

(b) CAIUS Inflit. Lib. 1. tit. 6. ibique SCHVLTING. p. 55.

(c) TERTULLIANVS apologet. cap. 35. p. m. 574.

(d) Dissertationis hiujus §. 2. p. 3.



Q. D. B. V.

D E

IVRE EPITAPHIORVM.

§. I.



Ulm juxta monitum VLPIANI
in L. i. pr. ff. de I. & I. L. i. §. i. ff.
de Paſt. prius nominis habenda
sit ratio, hinc etiam, ne præterea
in regulas boni methodi impin-
gere videar, antequam rem ipsam
aggredior, pauca de vocis Etymo-
logia, homonymia, synonymia &
affinibus præmittenda esse duxi. Est autem EPITAPHIVM
proprie inscriptio, qua sit supra sepulchrum, & deriva-
tur a græco ἡμέρα & θάνατο sepelio, quasi dicas, superse-
pulchrale scil. monumentum. In latiori significatu idem
est, ac Epitaphius sermo, Epitaphia oratio, quod ad se-
pulchrum proferri soleat, & alias etiam dicitur Monodia,
lugubris cantus, qui sit a præfica in defunctorum fune-
ribus, quasi unius cantus; Nam ceteris flentibus sola
præfica canit. vid. NIC. PEROTTI Cornu Copie col. 651.

A

Hu-

Hujusmodi cantus a nostris *Nenia*, a Græcis quoque *Epicedium* dicitur. De Neniis vid. late ALEX. AB ALEXANDRO, *Genial. Dier. Tom. I. Lib. III. cap. VII. p. 626.* & seq. in not. Epitaphium a Græcis etiam alio nomine vocatur *Epiodium*, seu *Epioedium*, canticum, quod dicitur eadaveri nondum sepulto, ex ḍī super, & ωδη, canticum. In veteri Inscriptione apud GRVTERVM f. 669. Epitaphium pro ipso sepulchro sumitur. Nec non interdum quamlibet Inscriptionem denotat, ut apud SVGERIVM *Lib. de Reb. in Administr. sua gestis, cap. 28.* & *Lib. de Consecrat. Eccles. S. Dionys. p. 354.* Epitaphium itidem pro quavis inscriptione descripsit eruditus MABILLONIUS in vita S. Radbodi Hexasticon hoc titulo : *Radbodi Epitaphium de Viatico Christi.* vid. DV FRESNE *Glossarium Tom. II. voc. Epitaphium.* Liber it. D. HIERONIMI, qui de Viris Illustribus inscribitur, a quibusdam *Epitaphium* dicitur, qui titulus, ut inquit D. AVGUSTINVS probari posset, si eorum tantum hominum vel vitas vel scripta contineret, qui jam defuncti essent. Hinc etiam *Epitaphista* apud SIDONIVM, qui Epitaphia conscribit. vid. ALEX. AB ALEXANDRO *Dier. Genial. Tom. II. Lib. VI. Cap. XIV. p. 598. in not.*

§. II.

Dividuntur Epitaphia ratione formæ in Oratoria, quæ more Elogiorum scribuntur, & Poëtica, quæ Epigrammatis affinia sunt. In genere vero juxta IAC. GVTHERIVM *de Iure Manuum Lib. II. Cap. 27.* ponuntur vel ad honorem Defunctorum, vel ad ignominiam, vel etiam in ridiculum eorundem, quæ alias quoque jocosa

EPITAPHIORVM.

jocosa dicuntur. Ad priorem classem in specie refert laudatus GVTHERIVS c.l. Epitaphium illud, quod apud XIPHILINVM extat in vita Hadriani : *Hic jacet Similis, cuius etas multorum annorum fuit, ipse septem duntaxat annos vixit.* Similis enim hicce per multos annos egregia invitus quidem obiit munia, quibus postea ultra se abdicavit, rurique septem reliquos vitae annos transegit, atque monumento suo verba haec inscribi jussit. Prae aliis maxime & huc pertinet Epitaphium, Episcopi cuiusdam Gandavi sepulti, in MISSONS Reise nach Italien p.m. 1230. his verbis.

*Ecclesia Antistite amisi,
Respublica Virum.*

Cujus arguta brevitat major certe Emphasis inest, quam amplissimae alias Orationi, ut loquitur d. MISSON l.c.

§. III.

In secunda classe varia quoque dantur monumenta, quæ in ignominiam defunctorum ponebantur, exemplum est in GRVTERO f. 852.

VIBLÆ O. L. CALTBENI.

LIBERTÆ LENÆ AB. AS-

SE. QVÆSITVM. LVCRO.

SVO. SINE. FRAVDE. ALIORVM.

H. M. H. N. S.

Aliud est exemplum in MARVILLE *Mélanges d' histoire
& de Litterature* vol. III. p. 29.

Atimeto. Lib.

Cujus. dolo. filiam. amisi. restem. &. clavum.

Unde. sibi. collum. alliget.

A 2

Multa

Multa alia hujusmodi inveniuntur alibi passim, in primis in AICHERII *Theatro funebri*, Part. IV. sc. V.

§. IV.

Ad tertiam classem præcipue referuntur Epitaphia salsa seu jocosa, quæ vel sunt nude ridicula, vel in specie ad deridendum facta, iis nim. qui deprehendi aut rideri meruerunt. Ad hanc classem pertinet in primis notum illud Epitaphium, vulgo *Eſt! Eſt! Eſt!* dictum, cuius historiam late exhibet MISSON in seiner *Reyſe nach Italien p. m. 990.* verba inscriptionis hæc sunt : *Eſt, Eſt, Eſt, propt. nimium Eſt, Io. de Fuc. D. meus mortuus eſt.* Quæ verba, ut ipſe MISSON c. l. monet, nullibi tam accurate descripta videntur, ceu ab ipſo factum. Hujus generis ridicula & jocosa inveniuntur ap. BATERLINCK in *Theatro Historico*, Lit. E. quædam etiam in Argutis P. MASENII, in GVEVARRA P. I. Epift. ad *Admiralium*, & in DRAVDIO lectissima, præsertim illa, quæ *Ænigma continent*, huc vero proprie non spectant.

§. V.

Sic ergo quartam classem forte constituent Epitaphia ingenii tantum causa facta, ut plerumque sunt illa, quæ a Poëtis conficiuntur, & ad præcedentes classes convenienter referri nequeunt. Quo pertinent cum primis illa, quæ animalibus constituuntur, de quibus tamen infr. §. 18. Item in specie etiam *Ænigmatica*; quorum celeberrimum est *Enimma Bolognese*, ut Itali vocant, *ÆLIA, LELIA, CRISPIS*, quod commentariis

EPITAPHIORVM.

5

riis complures Viri doctissimi illustrare tentarunt, & ex antiquo marmore in novo reparari curarunt Bononienses, & in primis ACHILLES VOLTA Senator, adpositis ad latera nominibus eorum, qui ad ejus explicationem totos tractatus scripserunt. Verba hujus Epitaphii sunt sequentia:

D. M.

AELIA LELIA CRISPIS.

NEC VIR NEC MULIER NEC ANDROGYN

NEC PVEILLA NEC IVVENIS NEC ANVS

NEC CASTA NEC MERETRIX NEC PUDICA

SED OMNIA

SUBLATA

NEQVE FAME NEQVE FERRO NEQVE VENENO

SED OMNIBVS

NEC COELIS NEC AQVIS NEC TERRIS

SED VBIQUE IACET

IVCIVS AGATHO PRISCIVS

NEC MARITVS NEC AMATOR NEC NECESSARIVS

NEQVE MOERENS NEQVE GAVDENS NEQVE FLENS

HANC

NEC MOLEM NEC PYRAMIDEM NEC SEPVLCRVM

SED OMNIA

SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT.

§. VI.

In genere apud Gracos Epitaphia juxta Legem Platonis quatuor versus excedere permisum non erat, ut videri potest in CIC. Lib. II. de LL. in fin. ubi haec verba: *Exsterni autem vetat sepulchrum altius, quam*

A 3

quod

quod quinque diebus absolverint, nec e lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui invisam quatuor heroicis versibus¹, quos longos appellat Ennius. Quo respicere etiam videntur versus PROPERTII Lib. IV. Eleg. V.

*Hoc carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat.*

Verum a Platone dictum quidem præclare, sed suæ secundum instituta civitatis. Nam aliter factitatum non solum a Græcis suis, sed & a Latinis nostris barbarisque videmus. Inolevit etiam plerisque antiquorum usus, ut soluta frequentius oratione, quam versu Epitaphia sepulturis inscriberent: cum e contrario Græci, & ii quidem antiquissimi, non nisi versu sepulchris inscriptions adhiberent, quæ & quod elego plerumque carmine fierent, ἐλεγα a Græcis sape vocata sunt. Vid. LILII GREG. GTRALDI, de Vario sepel. ritu lib. Miscellan. Erud. Ital. Tom. III. insertus, pag. 359.

§. VII.

Epitaphia quoque in diversis linguis simul scripta saepenumero reperiebantur, ut scil. peregrinantis & exteris, linguae Romanæ ignaris, sensus eorum nihilominus innotescat. Ut exemplum est apud CAPITOLINVM in vita Gordiani III. cuius Epitaphium in Græca, Latina, Hebraica & Ægyptiaca Lingua scriptum erat. Quo etiam quodammodo rescripsi potest Epigraphe illa, quam Lingua Hebraica, Græca & Romana cruci, cui Christus affixus erat, imposuit Pilatus. Et in eo maxime notabilis est, quod Christus in folio crucis sedens

dens palam Rex æternus omnium populorum ejus ipsius manu proscribatur, cuius ore fuerat usurpati Regni damnatus, ut loquitur BEZA in not. ad Iob. Cap. XIX. vers. 19. Græcis v. & Latinis Litteris (quæ certe Gentium sunt) scriptus fuit titulus, ad ostendendum, hunc Regem non Iudæis tantum, sed & Gentibus imperaturum, ut idem refert ad Matth. Cap. XXVII. vers. 37.

§. VIII.

Sæpius etiam monumentis sepulchralibus variae figuræ incisa videntur. BRODÆVS enim Lib. III. Epigr. Græc. scribit: *Antiquos ejus artis instrumenta, quam apud vivos exercissent, mortuorum quoque sepulbris insculpsisse.* Ita nim. Archimedes cylindrum sphæra comprehensum sepulchro suo imponi jussit, CIC. 5. Tufo. 64. Cujus exemplo Ramus Logicam suo sepulchro inscribi vult in prefat. Logice. Sic ergo hujusmodi figuræ ad explicationem inscriptionis multum conferunt. Ex. gr. in Epitaphio quodam apud GRVTERVM, cuius verba sunt:

D. M.

M AVRELIO ER

MAISCO

BENEMERENTI

QVEN. OMNES SODALES

SVI QVERVNT.

non pateret, quis fuerit ille Erraiscus, nisi ex appositis figuris id ipsum appareat. Ita in dicto monumento figura piscis, pescatorem, & figura navis, nautam illum fuisse indicat. Sic porro figuræ monumentis sepulchralibus incisa non raro etiam sunt criteria Religionis.

Ita

Ita v. g. variæ abbreviaturæ & characteres nominis Christi, columba Pacis, Rami Palmarum, signa Crucis & Coronarum in antiquis Epitaphiis pro certo indicant, defunctos Religioni Christianæ addictos fuisse, sequæ hoc ipso ab Ethnicis distinguere voluisse. vid. MISSON Lib. cit. p. m. 717.

§. IX.

Et hinc quoque luculenter satis patet, Epitaphia antiqua non tantum esse valde utilia, verum etiam quam maxime jucunda, vid. MARVILLE *Mélanges d'histoire & de Littérature*, ubi Vol. II. pag. 95. hac verba; *La Lecture des anciens Epitaphes, dont nous avons des Recueils, n'est pas une lecture sterile & ennuyeuse. Dans un sujet si triste, il se trouve quantité de traits agréables, & de remarques curieuses touchant l' Histoire & la Morale, qu'il est bon de mettre devant les yeux de jeunes gens, à qui l'on veut donner une belle éducation.*

§. X.

Probe tamen discernenda sunt Epitaphia a Cenotaphiis; Epitaphium enim sec. dicta §. I. est monumentum sepulchro impositum. Cenotaphium v. è contrario est sepulchrum inane, h.e. monumentum nudum, pro loco religioso non habendum, arg. L. 6. §. ult. de Rel. & Sumt. fun. & ideo iterum ad usus profanos applicari potest. Id quidem religiosum esse, adducto Virgilii testimonio, MARCIANVS credidit in L. 6. §. ult. ff. de R. D. verum mox ejus sententia refutatur auroritate Rescripti DIVORVM FRATRVM in L. seq. 7. eod. Ut adeo

adeo ille §. ult. non magis Lex sit, quam ex. gr. LABEONIS sententia in L. 42. ff. de Act. empt. relata & deinde rejecta, ut & alia ejusdem in L. 60. §. 1. & L. 61. ff. pro soc. & NERVÆ in L. 1. §. ult. & L. 2. ff. de Acq. vel amitt. possess. & PAVLI in L. 1. §. ult. & L. 2. ff. Si quid in fraud. patr. & aliorum sine fine modoque. Pluribus Vid. BTN-KERSHOECK Observat. Iur. Rom. Lib. I. Cap. V.

§. XI.

Pertractatis sic breviter generalioribus, jam ad tractationem specialiorem progredior. In hac autem agendum erit (1) de Iure Epitaphii constituendi, (2) de Iure Epitaphii constituti. In prima Sectione quatuor quæstiones consideranda occurunt: (1) Quis Epitaphium constituat, (2) Cui imponatur, (3) Ubi, & (4) Quomodo constituatur? In secunda Sectione pariter etiam quatuor membra dijudicanda erunt: (1) Quod Epitaphii constitutio inducat quasi contractum cum defuncto, (2) Quod inducat præsumptionem, & operetur probationem, (3) Quomodo delinquatur circa Epitaphium, & (4) Ex qua causa tolli possit?

§. XII.

In Sectione I. DE IVRE EPITAPHII CONSTITVEN-
DI prima quæstio occurrit: *Quis Epitaphium imponat?*
Epitaphium constituunt nonnunquam defuncti in vivis
adhuc sibimetipsis, id quod ex multis Inscriptionibus
videre licet, ex. gr. GRVT. f. 611.

B

DONATVS

DONATVS
AVG. LIB. ET.
ANNIA. PRIMITIVA.
HANC. SEDEM.
FRVCTVM. LABORIS. SVI.
VIVI. SIBI. POSVER.

Quemadmodum enim si monumentum heres fecisset, adscribebatur, H.F. i.e. *Heres fecit*, seu *Heredes fecerunt*, vel H.F.C. i.e. *Heres faciendum curavit*. Et quidem si ultiro heres, libertus, seu qui alius id sua pecunia fecisset, addebat, *Fecit de suo*. Aut si id testator fieri jussisset, ad debatur H.E.T.F. i.e. *Heredes ex Testamento fecerunt*, vel, *ex voluntate*, aut, *secundum voluntatem fecerunt*. Sic etiam si ipsem vivus sibi monumentum exstruxisset, adscribebatur V.F. i.e. *Vivens seu Vivus Fecit*: vel V.F.C. i.e. *Vivens seu Vivus Faciendum Curavit*: vel, V.H.S.F.M. i.e. *Vivens seu Vivus Hoc Sibi Fecit Monumentum*, vel *Se Viva Fecit Sibi*. Huc pertinent haec ap. Valerium Probum nota, V.S.P. & V.S.L.M. quas ille valere ait: *Vivens sibi posuit*, & *Vivens sibi locum Monumenti*. It. haec: O.V.F. i.e. *Omnia Vivus Fecit*. & haec M.C. & M.S.P. i.e. eo interprete: *Monumentum conditum & Memoriae sua Posuit*. Quod si locum monumenti emissent scribebant, *Vivus comparavit vel emit*, & interdum addebant, *se sibi & suis Fecisse*. Hoc enim significant haec nota: V.F.S.E.S. Quas formulas hic recensitas omnes, nec non & alias varias antiquis Inscriptionibus comprobat BRISSONIUS de *Formulis*, & *Solemnibus Populi Rom. Verbis Lib. VII. p. 694. & seqq.* Præterea dictas

etas formulas non tantum antiquitus sed hodie quoque plerasque adhuc in usu esse ex Epitaphio D. IO. STROMERI, in Templo Academico hic Ienæ sepulti appetet, cuius verba finalia haec sunt:

HUMANÆ FRAGILITATIS HAVD IMMEMOR, SIBI SVISQUE
VIVVS IN SPEM CERTISSIMÆ RESVRRECTIONIS H. M. P. C. AN-
NO PARTVS SALVTIFERI CL ÍO XCVII. MENSE NOVEMB. DIE
VICESIMO SECUNDO.

§. XIII.

Plerumque Epitaphia imponunt proximi cognati, affines, conjuges, &c. qui id saepe etiam in ipsa Inscriptione exprimunt, Ex. gr. GRVT. f. 688.

D. M.

L. IVLI. EPIGONI.

VIXIT. ANNIS. XXVI. M. V. D. XII.

CORPVS. INTEGRVM. CONDITVM.

L. IVLIVS. GAMVS.

PATER. FILIO. PISSIMO.

Aliud ibidem f. 74.

FILII.

POSVERVNT. MEMORIAM.

PATRI. SVO.

SATVRNIANO. POTIO. OBTO.

CVM. COMPARE. SVA.

VALENTINIANA. VOLSYIA.

Elegans quoque epitaphium incisum marmori in D. Pauli Basilica Petilii Processi, sedis prætorianæ togati, qui obiit Probo Iuniore Consule, hoc est, anno repara-
ta Salutis 513. verba ejus ap. DEMPSTERVM *Antiqu. Rom.*
Lib. V. p. 905. & seq. haec sunt:

B 2

Post

*Post mortem si vivat amor, si gratia prisa
 Durat in arcanum mentis adacta bonum
 Quamvis Luctificum fratri tamen accipe carmen
 Ne mala sit tumulis extera lingua tuis.
 Te Natura parens omni depinxerat arte,
 Moribus, ingenio, corpore, mente, fide.
 Purus amicitie cultor, servator honesti,
 Eloquio miseros, vel pietate sovens.
 Hinc est, quod toto semper te stebimus avo,
 Quod fuerit juveni vis tibi multa senis.
 Te genetrix, fratresque simul, te compare luctu
 Perpetuis lacrymis plangit amara domus.*

HIC. REQVIESCIT. IN. PACE.

B. M.

PETILIVS. PROCESSIVS. V. S. TOGATVS.

INL. P. P. QVI. VIXIT.

PL. M. ANN. XXXVIII. DEB.

E.

SVB. DIE. KAL. IVL. PROBO. IVN. V.

C. COS.

§. XIV.

In genere v. Epitaphia exstruunt, qui curam funeris gerunt; Pertinet autem fueris cura juxta L. 12. §. 4. de Rel. & Sumt. fun. ad aliquem ex triplici causa. Et quidem (1) propter jussum testatoris, sc. si defunctus vel ante mortem, vel in specie in testamento quem elegit. Ubi v. in specie notandum, quod non obstringatur ille, cui testator hoc injunxit, ut funerandi munus subeat invitus, si emolumento, quod forte hoc intuitu reliquerat testator, carere velit, L. 12. §. 4. ff. de

de Rel. & Sumt. fun. aut si defunctus eo nomine delegato plane nihil reliquerat , cum Onera honoribus cohærent, L. i. §. 15. seq. ff. de Collat. Bonor. & non honorati regulariter nec onerari debeant. Et hic quæritur, num, si decedens Monumentum extruendum aliqui delegaverit, hoc pro Mandato haberi possit ? cum mandatum personale sit, & Morte utriusque vel Mandantis vel Mandatarii regulariter expiret, arg. L. 8. §. 3. de Lib. Legat. L. 26. ff. Mandati §. 11. I. eod. L. 6. ff. de Iurisdict. Mandatum tamen de constituendo Epitaphio cum post mortem demum Mandantis effectum sortiri queat, nec cum monte ejus solvi potest L. 12. §. ult. Mandati. Nec obstat L. f. ff. de Solut. Verba enim priora loquuntur de stipulatione alterius post mortem meam facta, cum mandatum per se non sufficeret. Ultima vero verba loquuntur de mandata solutione, quæ fieri potest ante mortem ; vid. WISSENBACH ad ff. Exercit. XXXII. th. 19.

§. XV.

Curam funeris (2) habent nonnulli propter successionem in patrimonium defuncti factam , sive heredes sint ab intestato, sive ex testamento, sive Iure Civili, sive Prætorio. Quod pariter & hodie adhuc heredes in ipsis Epitaphiis plerumque indicant. Ex gr. in Epitaphio v. 10. SVEVI in Templo hujus loci Academico extante :

D. S.

HIC IVSSO REX SVMME TVO MEA,
 LANGVIDVS OSSA.
 PONO TVI REPETIT SPIRITVS ASTRA,
 THRONI,
 HOC SATIS EST VOTOQUE MEO
 SVBLIMIVS OMNI
 QVOD VIDEANT OCULI QVEM
 PRIVS ALMA FIDES
 TVMVLVS IOHANNIS SVEVII MISNICI, VIRIVSQUE IVRIS ET
 PHIL. D. ANTECESSOR. IN HAC VNIVERSITATE. MERITISSIMI,
 CVRIÆ PROVINCIALIS: SCABINATVS ADSESSOR. GRAVISSIMI,
 CONSILIARI SAX. FIDELISS. NATI ANNÆB. M.DLXIV. MOR-
 IEN. C. D CXXXIV.

P. P.

PERPETVÆ DEFVNCTI DESIDERATISSIMI MEMORIAE
 AC FAMÆ HAEREDES.

§. XVI.

Pertinet etiam funeris cura & sic Epitaphiorum
 exstructio (3) propter Sanguinis vicinitatem vel aliam
 necessitudinem ad Parentes, Liberos, Fratres, Cognatos,
 Affines, Conjuges, &c. de quibus supra §. 13. dictum est.
 Cum autem Sanguinis vinculum latissime se extendat,
 in genere observanda est regula hæc: *Quicunque alteri
 obligatus est ad prestanda alimenta, ille etiam huic de-
 finito prestare tenetur expensas funeris.* Licet quidem
 appellatione alimentorum expensa funeris propriæ non
 contineantur, utpote cum necessitas alendi morte ex-
 spiret, L. 8. §. 10. ff. de Transact. funus vero post mor-
 tem demum curandum; attamen æquitatis ratio hanc
 regulam extorsit, ut adeo impensæ funeris ultimum hu-
 ma-

manitatis officium, ad quod alimentario vivo obligabar, merito reputetur. *COLER. de Aliment. Lib. II. Cap. I. n. 12. seqq. CARPOV. P. II. C. 46. Def. 23. n. 2. & 3. vid. STRTCK. VS. Mod. ff. Lib. XI. Tit. VII. §. 42.*

§. XVII. In exstenuendis monumentis sepulchralibus i. e. Epitaphiis semper habendus est respectus ad dignitatem defuncti, ita ut non semper necesse sit Epitaphium exstruere, etiamsi id decedens ante mortem mandaverit, si scilicet & alienum id impeditat, vel sumtus iste modum facultatum defuncti excedat, pro modo enim facultatum sumtus fieri debent, *L. 14. §. 6. de Rel. & Sumt. fun.* Honestusque modus ubique servandus est, non immo-
dica cuiusque luxuria subsequenda, ut in alio casu optime loquitur *VLPIANVS L. 40. pr. de Damn. infect.* Lu-
xum enim hic in tantum jura nostra detestantur, ut
etiamsi defunctus talia mandaverit, tanquam inepta vo-
luntas, utpote qua vivis nocet, & mortuo non prodest,
ab heredibus impune spernitur; *L. 113. §. f. ff. de Leg. I.*
L. 40. §. f. ff. de Aur. & Arg. Leg. Similiter v. in contu-
meliam defuncti factum esse censetur, si spreta ejusdem
voluntate vel plane nullum, vel nimium vile Epita-
phium mandatarius constituat, & defunctus homo sit
locuples, vel in dignitate quadam singulari constitu-
tus, quia tale quid potius in contumeliam cedit mortui
quam honorem, vid. *L. 14. §. 10. de Rel. & Sumt. fun.*
Quod in primis scire interest, si de repetitione sumtuosum
funebrium quæstio moveatur, ut scil. neque plus impute-
tur sumtus nomine quam factum est: neque tantum,
quan-

quantum factum si immodice factum est. Deberet enim haberi ratio facultatum ejus, in quem factum est, teste VEPIANO in L. 14. §. 6. cod. Exemplum quoque ejus rei refert REBVFFVS ad Constitutiones Regni Gallia T. I. Tr. de Sentent. provisionali. pr. n. 52. ubi repetitio denegata fuit illi, qui sepelierat Doctorem præbendarum cum duabus tantum candelis & aliis modicis sumtibus. conf. STRYCK. Us. Mod. ff. Lib. XI. Tit. VII. §. 70.

§. XVIII.

Nunc ad Quæstionem II. Sectionis I. recedo, ubi quæritur: *Cui Epitaphium imponatur?* Epitaphia regulariter constituantur hominibus; Haud raro vero etiam animalibus, ut nos multa exempla docent, v. gr. equis. Exemplum habet MARVILLE in *Mélanges d'histoire & de Litterature*, Vol. III. p. 30. equi cuiusdam, qui Martin appellabatur, verba sunt:

*Diis Belluarum ac diis quas tuus
Martin nomine Patria Illirico Ephippifero ac clitelli-
fero dorsifero & clunigero currenti saltanti ac velo-
citer ambulanti destrorsum & sinistrorsum facillime
se volventi. Equarum ac Asinarum admissario for-
tissimo qui nunquam ullibi pedem incussum cui ut esset
rationalis preter verborum expressionem nihil defuit.
Artemon suasius male moerens Equo optimo B. M.
Pos. vixit annos undetriginta mens VI. dies VIII.
Exemplum etiam Epitaphii Mulae cuiusdam Romæ ex-
stantis habet AEICHERIVS in *Theatro Funebri Part. IV.*
scen. X. p. 255. his verbis:*

Dis pedibus Saxum.

*Chinchie Dorsifere & clunifere ac pesuet & mansuetæ,
cujus*

EPITAPHIORVM.

17

cujus ut infatura defulture commoderetur. Pub. Crassus
mule sue crassè, beneferenti, suppedaneum hoc cum risu
posuit.

Vexit ann. 3. Mens. 15. Dies noct. 2^½.
Canis etiam Epitaphium exstat in CHITRAEI Delicia.
Itin. varior. in Europa, p. 30. ~~so misericordi non nomi~~
Longo ac fido amore probatus Domino senio confectus
servata stirpe; hic jaceo. Hoc me honore sepulcri heres-
dignatus est. Rubinio Catulo dulciss. & blandiss. Anto-
ninus Thecobaldeus pos. Ut alia Exempla, quæ inveniuntur
in AEICHERIO l. c. quam plurima pratermittam.

§. XIX.

Non vero datur Epitaphium illis, quibus decreta
est sepultura inhonesta, sive *ignominiosa*, quæ absque
solemnitatibus & ceremoniis, in loco separato extra coe-
miterium, vel intra illud ad parietes in angulo quodam
peragitur, sive *canina* & *afinina*, quæ nomen suum, ut
arbitratur Dn. LVDOVICI in Iusu Pract. Disf. Iurid. P. I.
p. 110. sortita est ex loco Ieremia Cap. XXII. v. 18. & 19.
Ubi Propheta de Rege Iojakim dicit: *Man wird ihm
nicht klagen ach Bruder, ach Schwester, man wird nicht ihn
klagen ach Herr, ach Edler, Er soll wie ein Esel begraben
werden, zuschleißt und hinaus geworfen für die Thore
zu Jerusalem.* CICERO *insepultam* sepulturam vocat. Et
est, quando cadaver defuncti extra locum religiosum
consuetum in bivio vel trivio aut sub patibulum, aut
ubi brutorum cadavera abscondi solent, (auf dem
Schindanger) a Carnifice terra obtegitur. CARPOV.
Ipr. Confst. Lib. II. Def. 375. & 382. Inhonestam autem
sepul-

C

sepul-



sepulturam expectare tenentur omnes qui non vivunt
in gremio Ecclesiae; *Quibus enim non communicamus
vivis, nec mortuis communicare debemus, c. sacris. in pr.
X. de Sepult.* Sic v. gr. locum invenit (1) in Hæreti-
cis, pertinacibus scil. c. 2. de Hæreticis in 6to. quod ta-
men non intelligendum est de Romano-Catholicis vel
Reformatiis, cum hi ad æqualis Iuris fruitionem sunt
recepti. *Instr. Pac. art. 5. §. 35.* (2) in iis, qui in tor-
neamentis illicitis vel Duellis perierunt, c. 1. X. de tor-
neament. (3) in Excommunicatis, c. fin. X. de Sepult.
quibus adduntur etiam Blasphemi impoenitentes, LAN-
CELLOTTVS Inſt. Iur Can. Tit. de Sepult. §. 9. (4) in
contemtoribus verbi divini & Sacramentorum, c. 12. X.
de Sepult. (5) in Usurariis manifestis c. 3. de Usur.
& (6) in proprididis ob malam conscientiam, CARPZOV.
Ipr. Consist. Lib. II. Def. 376. 381. seqq. vid. pluribus
MVLLER ad Struv. Ex. 15. th. 82. Lit. E. seqq. Et cum
istiusmodi personæ ne quidem sepulta Ecclesiastica
dignæ habeantur, multo minus Monumenta honorum
s. Epitaphia iisdem exstruere fas erit. Quod tamen
ad furiosos & Melancholicos sibi manus inferentes,
item ad infantes nondum Baptizatos applicari haud-
quaquam poterit, quippe horum supultura secundum
praxin nonnullorum locorum ad honestas minus so-
lennes pertinet, vid. FINCKELTHAVS *Obs. 43. num. 16.*

§. XX.

In specie hic etiam monendum est, inhone-
stam sepulturam de Iure Civili plane ignotam fuisse,
nisi unico illo casu, si quis de crimine quodam con-
victus

victus in carcere decesserit, vel semetipsum interfec-
rit. Ubi tamen probe sciendum, id non fluxisse ex
Avtochiria, verum ex quasi Contractu, ubi certe per
tacitum consensum elicitor obligatio, ut videatur lae-
dens vel delinquens pati velle poenam hoc delictum
necessario sequentem, qui enim libere & voluntarie
delinquit, & in Delictum consentit, consentit quoque
poenam se inde pati velle, arg. L. 34. de Iure Fisci, ut
sic quoque supplicium, quo vivus affici debuisset, &
post mortem de illo sumi queat. Alias enim si quis
ex tadio vitae vel impatientia alicujus doloris vel etiam
jaestationis causa ut quidam Philosophi, manus sibi
metipsi intulerit, istiusmodi *αὐτόχειρ*, penitus impunis
erat, L. 3. §. 6. de bon. eor. qui ante sentent. L. 11. §. 3.
de his, qui not. infam. L. 6. §. 7. de injusfo rupto, irrito
facto testam.

§. XXI.

Prohibetur etiam hodie Epitaphia exstruere il-
lis, quorum memoria post mortem damnatur, quod
maxime accidit in reis Criminis læse Majestatis, arg.
L. 8. C. ad L. Iul. Maj. ubi perpetua nomini ejus rei
infamia inusta esse debet; quæ memorie condemna-
tio approbata quoque est in A. B. Tit. 24. ubi: daß
der Todte und sein Nahm verdammet sey mit seinem Ge-
dachtniß, id quod maximam partem profluxit ex cru-
delitate veterum Imperatorum ad opprimendos inno-
centes, & imminuendam autoritatem familiarum,
conf. Dn. BETER. Delin. Iur. Civ. Tit. ff. Ad L. Iul. Maj.
num. 5. Quorundam etiam pertinet, quod Majestatis
reus

reus non sit lugendus, L. 35. ff. de Rel. & Sumt. fun. ca-
daver ejus inhumatum relinquendum, L. i. ff. de Ca-
daver. punit. Statuæ in honorem erecta dejiciendæ,
& sic multo minus nova honoris monumenta, qualia
sunt Epitaphia, exstenuenda. Talis memoriae conde-
minatio obtigit Caspari Colignio, Magno Thalassiarcho
Regni Galliae, a. 1572. referente id THVANO; & novis,
sime a. 1663. d. 24. Jul. Cornificio, Comiti ab Ulfeld,
Supremo Aulæ in Dania Magistro, prout videre est
apud IO. PHILIPP. in Uſu Pr. Inst. L. 4. Elog. 80. n. 9,
add. HOPPIVS Comment. ad Inst. §. 3. de Pnbl. Indic.

§. XXII.

Nonnunquam tamen ponuntur etiam hujus
criminis reis uti columnæ, vulgo Schand-Säulen, ita &
Epitaphia, ad ignominiam spectantia; (In præcedent
bus enim ut & seqq. §§phis neque de Iocosis, nec
ignominiosis, sed tantummodo de illis quæ in honorem
defuncti ponebantur, sermo est.) Itius modi Schand-
Säule hodie adhuc, ni fallor, exstat in Hassia; Et talis
Epitaphii exemplum habet GOTTFRIED ARNOLD in sei-
ner Kirchen- und Ketzer-Historie Tom. II. Lib. XVI. Cap.
XXXII. §. 37. quod possum fuit Nic. Crello primum
Consiliario Christiani I. Principis Saxoniae Electoralis,
postmodum etiam Cancellario ejusdem Electoratus,
qui Criminis Læſe Majestatis argutus Dresden capite
plexus est; verba Inscriptionis sepulchralis hæc sunt:
*A Deo pro Iustitia Christianus II. D. G. Dux & Elector
Saxonia, supplicio de boſte pacis & quietis publicæ turbato
secundum leges sumto, Patre Patrie & Cesare juste
vin-*

*vindicante in pœna memoriam, audacie terrorem atque
sceleratis in exemplum; Rom. 13. Die Obrigkeit trägt das
Schwerdt nicht umsonst. Time DEVVM, bonora Cæsarem.
HARTNACCIUS Auctar. Hist. Univ. pag. 1043. Confer. a-
liud Epigramma apud MICH. SACHS. P. IV. Der Kay-
serlichen Chronick, pag. 483.*

§. XXIII.

Porro nec Epitaphium datur illis, qui post de-
lictum demortui sunt, modo scil. defunctus ante obi-
tum confessus & convictus sit, & sic condemnatus mo-
riatur unde etiam sola suspicio ad privandam Sepultu-
ram & Epitaphium haud sufficit, vid. MULLER ad Struv.
Ex. 15. tb. 83. in fin. Non tamen uti sepultura sic & Epitaphiorum exstructio deneganda est illis, qui dubia
morte perierunt: Favorabilis enim est Sepultura, & Re-
ligionis interesse dicitur monumenta exstruere & exornari
in L. 1. §. 6. de Mort. infer. & horum denegatio est
nota pœnae promerita, quæ in illis, de quorum nece
vel obitu certi nihil constat, locum non habet; Præ-
sumptionem enim innocentiae urget pietas, ut hinc contra
charitatem Christianam ad sepulturæ denegationem
vel sepulturam inhonestam non sit deveniendum, arg.
L. 1. & f. ff. de cadaver. punit.

§. XXIV.

Singularis quoque hic obvenit quæstio, num
scil. si quis v. gr. centum legaverit Ecclesiæ, addita ta-
men hac conditione, ut illi post mortem in eadem Ec-
clesia locus sepulturæ concedatur, atque Epitaphium

constituatur ; Postea vero idem ob crimen aliquod commissum patibulo suspendatur, vel rotæ imponatur, & sic sepultura honesta privetur, consequenter in loco sacro humari prohibetur, num dico, legatum istud conditionaliter relictum, conditione non impleta nihilominus Ecclesia debeat? Et decidit Glossa, quæ casum habet in terminis, Quod sic. Tom. III. pag. 1450.

§. XXV.

Supereft & alia adhuc quæfio, de Monftrosis, num scil. hisce Epitaphia imponere liceat? Et pri-
mum omnium probe distinguendum est inter Monſtra
& Ostenta, cum omne quidem Monſtrum sit Oſten-
tum, ſed non omne oſtentum pro monſtro habeatur.
Oſtentum enim appellatio latius patet quam monſtri. Et oſtentum ſignificat omne id, quod præter naturæ con-
ſuetudinem eſt natum, ſi ſcil. natura membra humana
vel ampliavit vel mutavit, vel imminuit, L. 35. de
V.S. L. 10. de AEdilit. Edict. Monſtrum vero eſt, quod
contra formam humani generis converſo more & qua-
ſi prodigium naturæ nascitur ita ut alterius magis ſit
generis & animalis, quam hominis, L. 135. de V.S.
Et tales partus monſtrosi, forma humana deſtituti ab-
ordine hominum expugnantur, conf. THOLOSANVS Synt.
Iur. Univ. Lib. VII. Cap. II. n. 9. add. L. 14. ff. de Stat.
Hom. & L. 3. C. de Poſtb. hered. iſtit. neque baptizan-
tur vid. MENOCHIVS de Arbitr. Ind. Quæſt. Cent. V. cap.
491. n. 26. & ſine fraude & impune necari poſſunt, ſi
ſcil. nullum rationis humanae iudicium in iisdem ap-
pareat, nec non impetu belluino ferantur, vid. WIS-
SEN-

SENBACH ad Tit. ff. de V. S. Disp. XIV. tb. n. illaque juxta antiquam Romæ Legem suffocari solere, ex GODÆO in l. 38. n. 16. de V. S. refert GRÖNWEGEN ad L. 14. ff. de Stat. Hom. sic etiam sepelienda non sunt, vid. ROTH. de Iur. Sepult. Cap. IV. n. 134. add. MULLER ad Struv. Ex. 3. tb. 4. lt. B. & consequenter illis Epitaphia imponi nec possunt, nec debent.

§. XXVI.

Nunc III. quoque I. Sectionis Quæstiō consideranda est; *Ubi nim. Epitaphia constituantur?* Et in genere, ut ex ipsa Etymologia nominis Epitaphii apparet, constituuntur super sepulchra, *Domus*, ut ita dixerim, *defunctorum*, L. 4. C. de Sepulchr. Viol. Hinc ergo ante omnia videndum, ubi sepulchra fieri permisum sit? Apud Romanos ab initio pro iubitu locus Religiosus siebat, §. 9. J. de R. D. Sic v. gr. mortuos suos sepeliebant in agris, THOLOSANVS S. I. V. Lib. XXXIX. Cap. 13. n. 16. & Lib. XXXIII. Cap. 23. n. 4. & s. vel etiam in aliis fundis propriis. Plerumque vero secundum viam publicam sepulchra siebant. Hinc oriebantur solennes Epitaphiorum formulae: *SISTE VIATOR*, aliaque similes. Causam, quare ad vias sepulchra veteres extruxerint adducit VARRO Lib. V. de Lingua Lat. quo scil. prætereuntes admonerent, & se fuisse, & illos esse mortales, CVIACIVS Tom. IV. p. 511. cuius consuetudinis, quare juxta viam ponerenter sepulchra, ex antiquo quoque lapide desumi potest ratio, GRVT. f. 431.

T. LOL.

T. LOLLIVS. T. LOLLIN. MASCVLVS.
IULIVR. BONDICOMENSIS.
HIC. PROPTER. VIAM. POSITVS.
VT. DICANT. PRÄTEREVNTES.
LOLLI. VALE.

Sæpius etiam in propriis ædibus antiquitus defunctorum cadavera humabantur. Unde & remansit Larium Penatumque religio, qui ea de causa domi à gentibus colerentur. Verum ea mox consuetudo, ut foeda ac tetra, antiquata, & in totum sublata est, adeo ut etiam LL. XII. Tabb. vetitum sit, id quod & SCrō Duillio Cons. approbatum est: Ex qua re in usu loquendi verba illa venerare, educere, & efferre. Vid. LILII GREGORII GTRALDI Tr. de Sepulchris & vario sepeliendi ritu, qui Miscellaneis Italicis Eruditis Tom. III. insertus est, pag. 364. cuius prohibitionis rationem quoque affert THOLOSANVS S. I. u. Lib. XXXIII. Cap. 23. n. 8. & p. forsan ne tabes ærem urbanum inficeret, vel ne licentia illa sepeliendi familiaris daret delinquendi & occisos occultandi occasionem.

§. XXVII.
LL. XII. Tabb. etiam cautum erat, ne in urbe mortuos sepelirent, verba enim Legis sunt: *Hominem Mortuum in Urbe ne sepelito neve urito*, PAVLVS Lib. I. Sent. tit. 21, quod etiam rescriptis Principum confirmatum erat L. 3. §. 1. de sepulc. viol. idque vel propter ignis periculum, CIC. Lib. II. de LL. vel ne sacra Civitatis funestarentur, PAVLVS cit. loc. Et etiam si gentibus instituti hujus causa precipua fuit fortassis, ut in urbibus mun-

mundities servaretur, & aër minus inficeretur ex cada-
verum putrescentium factore, tamen in Dei populo majus
mysterium observatum fuit in hac re. Nam funerum de-
ductione extra urbes publice testabantur, defunctos jam
e mundo extirrisse, & alterius civitatis cives factos esse, ejus
nim. quam in cælis habent, quotquot per fidem filii Dei
facti sunt, quæ verba sunt HOSPINIANI De Origine, Pro-
cessu, Usu & Abusu Templorum, &c. Lib. III. Cap. I.
fol. 87.

§. XXVIII.

Verum jam ante LL. XII. Tabb. non nisi singu-
laris honoris & virtutis causa (utpote quæ Legibus eos
solvisset;) Sicut etiam Virgines Vestales, quæ LL. non
tenebantur, in urbe sepulchra habuerunt, *CVIACIVS
Tom. IV. p. 375.*) in urbe sepeliri concessum fuisse ci-
CERO Lib. II. de LL. attestatur. Tum id non tantum
in urbe Roma, sed etiam in municipiis Lege DIOCLE-
TIANI & MAXIMINIANI Imp. in L. 12. C. de Rel. ne scil.
sanctum municipiorum Ius polluatur, & in ipsa deni-
que urbe Constantinopolitana per L. 6. C. THEODOF. de
Sepulc. viol. ut observetur sancte fuit constitutum, vid.
ZIEGLER. ad Inst. Lancellotti Tit. de Sepult. §. 1. quod
Imp. THEODOSIVS M. per L. 12. C. de SS. Eccl. etiam
ad Apostolorum & Martyrum sedes extendebat. Non
tantummodo vero apud Romanos, sed etiam apud alios
Gentes, v. gr. Athenienses Lege Solonis, vid. CIC.
Ep. ad Fam. L. IV. Ep. ad Sulpitium, huncce morem
observatum fuisse ex PLVTARCHO constat. LEO demum
Philosophus Legem hanc XII. Tabb. per Nov. 53. pe-
nitus

D

nitus sustulit, & five extra muros, five intra civitatem quis mortuos sepelire volet, perficiendæ voluntatis facultatem dedit, sed rationibus non adeo prægnantibus, ut ait CARPZOV. *Ipr. Confist. Lib. II. Def. 389. n. 2.*

§. XXIX.

Postea vero Ius sepulturæ non ut antiquitus privati arbitrio relinquebatur, tum ob mala, quæ inde clam fieri poterant, tum ut honestius & ritu Ecclesiastico humarentur cadavera defunctorum, THOLOSANVS *S. I. U. Lib. II. Cap. XIII. num. 4.* verum in Coemeteriorum loca, ad communem sepulturam destituta mortuos inferre constitutum est. Et dicuntur hæc loca *coemeteria*, Coemeteria, nempe quod tantummodo dormire, & in vitam æternam excitandos credamus, *Germ.* Gottesacker, in quo scil. corpora piorum, veluti grana quædam in spem futuræ messis seminaruntur, *i. Cor. 15. vers. 35. seq. Job. 12. vers. 24.* CARPZOV. *Ipr. Confist. Lib. II. Def. 385. n. 8. & 12.* Quod & innuere videtur PERERIVS in *Cap. 50. Gen. vers. 13.* inquiens: *Coemeterium* vocabant, voce fidei ac pietatis plena, resurrectionis videlicet *Ipem* testificante, declaranteque Dei omnipotentiam, qui tanta facilitate possit mortuos ad vitam revocare, quanta potest quilibet nostrum excitare dormientem. Plerumq; Coemeteria habentur extra Civitatem, in nonnullis tamen locis etiam intra Civitatem prope Ecclesiam, quod tamen, quia ex frequentioribus funeribus metui potest contagium, merito ex parte corrigendum esse censet BRVNNEMANN. in *Iur. Ecclef. Lib. II. Cap.*

EPITAPHIORVM.

27

Cap. II. §. 12. & CARPZOV. in Ipr. Consist. Lib. II. Def. 385. n. 1. seqq.

§. XXX.

Postmodum tractu temporis paulatim etiam Iu-
ra permiserunt in ipsis quoque Ecclesie mortuos sepe-
lire. Qua de re PANVINIVS in lib. de rite sepeliendi mor-
tuos sic scribit: *Cum antiquitus, inquit, tantum extra*
urbem in Coemeteriis hominum corpora sepelirentur, pace
Ecclesie data intra Urbes ad templorum lamina, postea
etiam in ipsis templis sepeliri mos invaluit. Constantinus
in porticu templi Apostolorum Constantinopoli: Honorius
in porticu templi S. Petri Roma, ejus uxor intra idem
templum sepulti sunt, &c. id quod & adhuc hod. hono-
ratiорibus defunctis solet concedi; vel quod defuncto
dignitas & fama ex loco consecrato accedat; vel quod
tutior ejusmodi censeatur locus, ne forsitan ab impiis ca-
daver aut ossa defunctorum effodiantur, vel facinorosi
postea in eodem sepulchro condantur, CARPZOV. Ipr.
Consist. Lib. II. Def. 389. vel quod minus ibi spiritibus
immundis vexentur cadavera, cum ex superstitione vul-
gi in sepulchris dæmones versari credantur, quapro-
pter etiam coemeteria apud Pontificios benedicuntur,
ut eo ipso spectra impedianter, LANCELLOTTVS Inß.
Iur. Can. Tit. de Sepult. §. 1. Qua ipsa Pontificiorum
opinione niti quoque videntur preces illæ, quibus no-
stri Ecclesiæ Ministri publice utuntur, quando mortem
alicujus annunciant: Gott gebe dem Cörper in der Erde
eine sanffte Rube, licet non desint hujus formulae excu-
sationes, conf. CHEMNIT. Exam. Concil. Trident. p. 3. add.

D 2

10H.



IOH. TOE. MAIOR *Diss. de Orat. pro defunct. contra Grot.*
edit.

§. XXXI.

Extra Cœmeteriaum sepultura non solet permitti
hodie, BRYNNEMANN. *in Iur. Eccl. Lib. II. Cap. II. §. 12.*
Quia enim hodie sepulturæ jus publici juris est, id sibi
privatus vindicare nequit. Cum itaque cœmiteria au-
toritate publica sint constituta, licitum quidem est,
in alterius parochiæ cœmeterio (v. gr. si affectionis cau-
fa uxor ad sepulchrum prædefuncti mariti humari velit.)
sepulchrum eligere, *c. 1. 3. 4. 10. de Sepult.* (*Quemadmo-
dum etiam in cœmteriis privata cujusque familiae se-
pulchra esse posse usus approbavit, THOLOSANVS, S. I.
U. Lib. XXXIII. cap. 23. n. 10.*) non tamen in loco pla-
ne non religioso extra cœmterium aliquod, *c. 3. X. cod.*
nisi superioris accesserit autoritas. ZIEGLER ad Inst. Lan-
cellotti.

§. XXXII.

Verum Patrono Sepultura privata extra Cœme-
terium non est deneganda. Ex præjudicio quidem
communi quoque promanavit opinio, Nobilibus, licet
Ius Patronatus habeant, nullo modo licere dormitoria
juxta suas ædes construere, !qualem casum exhibet
STRICKIVS *in not. ad Brunnemanni Ius Eccl. Lib. II. Cap.*
II. §. 2. Cum enim Nobilis talis, quatenus est Patro-
nus Ecclesiæ, ejus etiam utitur sacris, integrum quoque
illi est, cœmterium publicum suadente necessitate vel
ampliare, vel novum exstruere, sibique in Ecclesia
quæ alias non debet esse cadaverum receptaculum, se-
pul-

pulturam, & quidem in loco honestiori, juxta altare, exstruere, suæque familiae in perpetuum applicare, **ESPIN Part. II. Iur. Eccl. Tit. 25. c. 7. §. 39. & Tit. 38. c. 2. §. 46.** Quo posito, ratio superesse non videtur, ob quam pro se & iis, qui de familia illius sunt, privatum in castro suo dormitorum constituere non possit, maxime si ubi degit nullum reperiatur templum. **BOEHMER de Iure Erigendi Cæmeterium, Cap. II. §. 18.**

§. XXXIII.

Multi tamen volentes in Cœmeterio non sepeliuntur, sed in locum extraneum repelluntur indigni, **BARBOSA Jur. Eccl. Lib. II. cap. 10.** humantur nim. juxta §. 19. vel ubi brutorum cadavera abscondi solent, vel ad patibulum, vel etiam in alio inhonesto extra cœmeterium loco. De Cadaveribus quidem punitorum poenitentium aliud sentit **LANCELLOTTVS in Inst. Jur. Can.** eosque sepultura Ecclesiastica tradendos esse censet **Lib. II. Tit. XXIV. §. 13.** ex superaddita ratione, quod, cum pro peccatis suis poenam extremam solverint, & dignae poenituerint, non bis id ipsum judicet Deus. Vertum negatio sepultura non tam sit in poenam, quam in exemplum, ut deterreantur a simili facinore alii. Satis enim est, id quod mortuis accidit, a vivis metui, ut hoc pacto a peccato retrahantur, **ZIEGLER in Not. ibidem.**

§. XXXIV.

Interdum quidem ex speciali eademque publica permissione, etiam personis, alias inhoneste imasimine sepeliendis, honesta sepultura, si non in cœmeterio,

terio, tamen in loco privato sive proprio, conceditur. Ubi pariter, si ex consensu superiorum monumentum quoddam seu Epitaphium forsan exstructum sit, illud violare omnino nefas existimatur. Qualem casum superioribus modo diebus a singulari amico in terminis per litteras communicatum accepi, eundemque hic apponere non incongruum esse existimavi. Verba sunt haec:
Hat sich ein Färber N. N. aus Desperation dahin verfüren lassen / daß er seinem vermeinten elenden Leben durch Ersäufung abgeholfen / worauf von der Obrigkeit gewöhnlicher massen locus sepultura honestus denegires / und hingegen der Schind-Anger angewiesen wurde. Es brachten es aber des Propriicidae Freunde noch so weit / daß der Körper zwar nicht in commune Coemeterium, doch aber auf eine gemeine Wiese / die denen Erben des Unglückseligen zustünde / begraben wurde / woselbst auch die Erben ein ziemlich seines Epitaphium, (aber alles consentientibus Superioribus) auffrichteten. Es wird aber in der allgemeinen Erbtheilung diese Wiese einem von denen Erben zugeschlagen / welcher sie wieder dem tertio verkauft / der aber alsobald das Epitaphium will abreissen lassen / worüber sich die Erben beschwehren. Et Respondebatur: daß Beklagter dieses zu thun nicht befugt / sondern er das Epitaphium und monumentum sepulchrale, licet Infelicitis Propriicidæ, in statu quo zu lassen / und deswegen cautionem de non amplius turbando zu bestellen schuldig seye. V. R. W.

§.XXXV.

§. XXXV.

Cui simpliciter denegatur sepultura publica, is tamen sepeliri potest in horto vel alio loco privato, ex sepius dicta ratione, ne corpus hominis inhumatum relinquatur, & odorem ingratum excitet, RIPA in *tr. de Peste*, num. 102. Etsi enim ipsi defuncto facilis jactura sepulchri est, sive humatus, sive inhumatus maneat, cum ejus corpus post mortem omni sensu careat. Tamen in primis viventium gratia sepultura reperta est, quibus cadavera, tanquam naribus foetida, & oculis infesta occultantur, sec. RIPAM in *d. tr. de Peste*, num. 98. 99. COLERVS de *Process. Execut. Part. I. Cap. VI. n. 120.*

§. XXXVI.

Restat adhuc & ultima I. huius Sectionis quæstio: *Quomodo scil. Epitaphia constituantur?* Quæ cum jam supra occasione Quæstionis I. in totum propemodum ad illam responsum sit, nunc ordinis tantum gratia brevissimis quidem attingenda erit. Primo omnium Epitaphia constituuntur secundum voluntatem defuncti, qui id vel ante mortem certæ alicui personæ demandat, vid. §. 14. vel in vivis adhuc sibi meti ipsi Epitaphium constituit, de quo §. 12. vel etiam monumento post mortem quædam inscribi jubet, ut Exemplum est in PLINII *Epist. lib. VI. Ep. 10.* ubi Virginius Rufus, vir nunquam fatis laudatus, cuius virtutes & dignitates enarrat d. PLINTVS *Lib. II. Ep. 1.* mandaverat caveratque ut divinum illud & immortale factum verisbus inscriberetur:

Hic

*Hic situs est Rufus, pulsus qui vindice quondam,
Imperium afferret non sibi sed patriæ.*

Tum vero deficiente testatoris iussu, secundum voluntatem heredis sepultura, & sic etiam Epitaphiorum exstructio fieri debet, de quo *supr. §. 15.* vid. MOLLER *ad Conf. Saxon. I. 29. 20.* Si vero denique neuter aliquid disponat, secundum conditionem vel dignitatem defuncti Epitaphia constituuntur, vid. §. 17. Hæc sufficiente Jure Epitaphii constituendi.

§. XXXVII.

Nunc DE IVRE EPITAPHII CONSTITVTI, ubi quatuor etiam consideranda veniunt membra. Primum: *Epitaphiorum exstructio*, inducit quasi contractum cum *Defuncto*, nam quemadmodum quis, viventis negotiū sine mandato gerens, obligat sibi Dominum, t. t. de Neg. gest. Ita & qui propter funus aliquid impendit, cum defuncto contrahere creditur, L. 1. de Rel. & Sumt. fun. junct. L. 14. §. 13. & 15. ibid. Ex quo fundamento etiam impense funeris repeti queunt, modo 1.) nec sint immodicae nec nimis modicæ, L. 14. §. 6. & 10. de Rel. vid. *supr. §. 14.* (2.) animo repetendi illæ factæ sint, & non pietatis, misericordia aut affectionis causa quis funeraverit, de quo tamen in antecessum protestari tutius est, ut ait ZOESIVS *ad ff. Tit. de Rel. & sumt. Fun. n. 8. arg. L. 14. §. 7. eod.* Sicuti & protestatio ad hoc utilis est, ne videatur hereditati se immiscuisse, vel eam divisisse, d. L. 14. §. 6. eod. In dubio tamen presumitur quis sumptus funebres fecisse animo repetendi, arg. L. 25. pr. *de probat.* Non quidem quoad quantitatē

tem expensarum requiritur exacta probatio, sed sufficit per conjecturas verisimiles ex boni viri arbitrio ostendere tantum impensum esse, sec. BALVUM in L. 4. C. de Pet. Hered. vid. PFEIL Conf. Part. II. pag. 55. §. 3.

§. XXXVIII.

Non tamen æque favoribiles censemur monumenti ac funeris sumitus, idque maxime ob L. 1. §. 1. ad L. Falcid. ubi dicitur, monumenti ædificationem non ita necessariam esse, ut sit funus & sepultura; Ex ipsa tamen §. 19. & seq. L. 2. luculenter patet, id. tantum verum esse, si non fuerit necessarium, monumentum exstruere, vel plus impensum sit, quam quod sufficiat ad speciem modicam monumenti. Si ergo familia dignitas postulat, ut exstruatur, vel si amplissimarum fuit facultatum defunctus, modica haec impensa non adeo curantur, arg. L. 12. §. 5. & L. 14. §. 6. de Rel. & Sumt. fun. add. L. 14. §. 4. eod. ubi expresse impensa marmoris etiam impensis funeris annumeratur, ut sic non dubium sit, quis sumitus in monumentum vel Epitaphium facti reliquis impensis funebribus accenseantur, & sic detrahendi sint ut aë alienum, BRVNNEMANN. in Comment. ad ff. L. 1. §. 19. ad L. Falcid. modo scil. ut in omnibus ita & in hoc sumtu ad dignitatem & facultatem defuncti respectus habeatur, juxta L. 1. §. 19. in fin. ad L. Falcid. & L. 2. eod. Etsi quidem monumentorum ornamenta magnifica neque vivis neque mortuis videantur proficere, nec absolute necessaria sunt, cum sine iis funus sepeliri possit, d. L. 1. §. f. ad L. Falcid. Subest tamen & hic Religionis favor, L. 1. §. 6. de Mort. in fer.

E

&

& sunt mortuis honorifica ad memoriam eorum colendam, & vivis solatia, L. 2. §. 6. de Rel. & Sumt. fun.

§. XXXIX.

Præterea sunt & alii funeris sumtus qui non magis necessarii sunt ac monumenti ; Ex. gr. Unguenta, L. 37. pr. de Rel. & Sumt. Fun. id quod etiam ex L. XII. Tabb. videre licet, qua sic cautum erat : *Servilis uncitura omnisque circumpotatio tollatur*, ASIN. ad L. 12. §. 5. n. 21. de Rel. Si enim sumtus talis planè necessarius fuisset, cur L. XII. Tabb. cit. uncituræ hujus honorem denegasset servis defunctis, & usus ejus etiam hodie restrictus esset, cum ille non amplius indiscrete omnibus pateat, eatenus scil. ut ista in funus alienum impensa ad sumtus funebres referri omnino queant, sed tunc demum, si ad unguenta Magnatum, Principum, aliarumve personarum Illustrium cadavera fuerit adhibita, CARPZOV. Ipr. Consist. Lib. II. Def. 392. n. 8. segg. quod idem est, ac si dicere velis, si dignitas defuncti id requirat, quæ etiam in impensa monumenti præcipue est attendenda.

§. XL.

Secundo etiam Epitaphia inducunt presumptiōnem & operantur probationem, partim mortis ; Epitaphia enim non nisi mortuis constitui per se clarum est, & Cenotaphia in nostris Ecclesiis vix frequentata esse asserit SCHILTER. Ex. IV. §. 4. Mors vero probanda est in secundis nuptiis & in hereditate. Partim etiam juris

ris ibi sepeliendi, juxta L. 10. de probat. ubi monumenta publica, qualia etiam sunt Epitaphia, potiora testibus esse expresse dicitur, ut sic ne quidem probatio in contrarium admittatur. Ast valde obstare videtur L. 6. C. de Rel. & Sumt. fun. Verum cum in b. L. de Libertis tantummodo sermo sit, generaliter ex ea non est probandum, quod inscriptiones monumentorum non probent, sed hoc tantum, si non appareat de voluntate ejus, cui positum est monumentum, MENOCH. de Praesumt. Lib. II. Praef. 59. n. 7. vid. BRVNNEMANN ad b. L. At vero si de voluntate testatoris constat, ejusmodi monumentum omnimodam fidem habere ex L. 10. cit. de probat. apparent.

§. XLI.

Qua vim probandi tamen intereft, si de domino vel possessione queritur. In petitorio enim non est ex Insignibus & inscriptione Epitaphii plena probatio, sed tantum praesumptio, MENOCH. de presumt. Lib. III. pref. 130. n. 33. quæ quidem in illa se fundantem liberat a probatione, & alteri dominium sibi afferenti onus probandi integrum relinquit. In possessorio autem, ubi non statim appetet, sepulchri possessionem penes alium esse, contra Ecclesiam ejusque provisores ex iisdem plena probatio est. Verosimile enim non est, quibus rerum Ecclesia cura incumbit, passuros ab iis Insignia vel nomina sepulchro indi, quos possessores nolent, vid. MEVII Decif. Part. IX. Dec. 141.

E 2

§. XLII.

§. XLII.

Tertio jam quæritur: *Quomodo circa Epitaphium delinquatur?* Delinquitur autem circa Epitaphium 1.) si id sit injuriosum, si v. gr. injuriosum quid sepulchro inscribatur vel imponatur, quo casu actio injuriarum heredibus contra injuriantem competit, quia per defunctum heredes injuriati censemur, L. 1. §. 4. & 6. it. L. 27. de *Injur.* Non minus autem delinquitur circa Epitaphium, si id sit minus honorificum, quando scil. minus quam oportet & facultates defuncti requirunt, expensum sit, quod pariter habetur pro injurya defuncto facta, arg. L. 14. §. 10. de *Rel.* & *Sumt. fun.* add. MOLLER ad *Proc. Saxon.* I. 28. 11. vid. supr. §. 17.

§. XLIII.

In primis autem 2.) circa Epitaphium delinquitur violando, veluti si quis faxa vel marmora sepulchri vel columnas auferat, vel monumentum aut Insignia vel imagines monumento affixas destruat, aut simile quid committat, L. 2. C. de *sepul. viol.* HAHN ad *Wesenb.* cod. Tit. n. 2. In sententiis PAVLI inter alia quoque & hæc verba leguntur: *Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam everterit, vel quid ex eodem traxerit, lapidem columnamve sustulerit, sepulchrum violasse censetur.* Titulos vocat inscriptiones sepulchrorum aut monumentorum, ut passim in antiquis monumentis, T. F. I. Statua affixa pars monumenti est, L. 2. de *sepul. viol.* ideoque sepulchri violati actione tenetur, is, qui eam invertit. CVIACIVS Op. Tom. IV. pag. 511. b. c. Malficis

lefcis enim affanes sunt sepulchrorum violatores, læſarum religionum rei. L. i. C. d. Sepul. viol.

§. XLIV.

Sepulchra autem violentium poena eadem hodie obtinet, quæ a CONSTANTINO Imp. in L. 4. C. de Sepul. viol. statuta est. Ita ut Epitaphia, Imagines, Statuas, vel alia monumenta sepulchralia defruiens vel auferens, praeter restitutionem illarum rerum fractarum vel ablatarum & hodie in X. librarium auri poenam Fisco infrendam incidat, vid. CARPOV. Proc. Crim. P. II. Qu. 83. n. 64. seqq. & BERLICH. P. IV. Concl. 47. n. 41. Voluti etiam ita Scabini Lipsienses Merite Junio Anno 1568. ad consultationem Nobilis a Limpach responde- runt: Hat einer von Adel Balthasar von Hiedenberg genannt/ kurz verückter Zeit aus lauter Frevel und Muthwill zu Lanz in der Kirchen/ da Georg Pauer euer Schwester Mann begraben liegt / desselben Gra- be Stein / darauf euer Adelich Wappen gehauen und gebildet gewesen / Euch und Eurem Geschlecht zu Schimpff und Nachtheil/ zerschlagen / so wird er de- rohalben mit der Straffe / so in Eurem Kaiserlichen Adels- Brief / des Copay ihr uns zugeschickt / ein- verleibet / billlich belegt / und mag darüber von des- wegen das er den Grab- Stein zerschlagen / vermid- ge gemeiner beschriebenen Kaiserlichen Rech- te / als ein Beschädiger des Begräbnisses um 10. Pf. Goldes in Straff genommen werden. V. R. W. add. ECK. §. 5. fin. WISSENBACH Tit. de Sepul. viol. tb. 12.

E 3

in

in fin. ubi usum illius Tituli non esse minorem hodie,
quam fuit olim, affirmat.

§. L XLV.

Restat adhuc Membrum IV. ubi queritur, *ex qua causa tolli possint Epitaphia?* & Resp. Epitaphia non nisi ob urgentem necessitatem posse tolli, deficiente enim necessitate sepulchrum eo ipso violaretur. Inter necessitatis casus autem numeratur præcipue subselliorum in templis structura, quæ tamen non indistincte & absolute suscipienda est, sed necessitas exstructionis præ oculis habenda, ita ut sine movente causa vix permittatur eorum ædificatio. Inter moventes vero & sufficietes causas primario refertur incrementum populi, LINCK *in tr. de Jur. Templ. Cap. V. pag. 107.* certis enim in Civitatibus multitudine fidelium adeo excrescit, ita ut subsellia Ecclesiastica cæteris Parochianis vix ac ne vix quidem sufficiant, quare de nova novorum subselliorum exstructione Ecclesiæ Curatores curam præparmis habent, uti haud pridem etiam contigit Lipsiæ in Ecclesia ad D. Nicolatum, PHILIPPI *Diss. de Subsellis, Cap. II.* §. 1. *in fin.* quo nim. audientibus verbum Dei commodior suppeditetur occasio, devote orandi, verbumque divinum discendi, arg. *I. Cor. 14. vers. 40.* Si itaque quædam in templo extantia monumenta apud structuram subselliorum impedimentum afferrent, illa in casu necessitatis removeri, & in aliud locum transferri posse, certe extra dubium est.

T A N T V M.

EN igitur inquisitioni Tuæ, L. B. meditationes nostras subjecimus, & hac in re morem pictorum atque sculptorum, qui itidem artis suæ specimina prætereuntium contemplationi exponunt, imitati sumus. Quemadmodum autem non excellentes tantum artifices, sua articia in luce & conspecta aliorum collocant, sed eorum quoque tyrones atque ii, qui artis suæ perfectionem nondum assecuti censentur, sua conamina aliis conspicienda præbent: ita nec eruditæ tantum, sed & eruditionis cultores meditationes suus libenter aliis patefacere solent, propterea quod cum aliorum approbatione saepe etiam veritatis fructuosa confirmationem sibi contingere posse sciunt. Sicuti vero pictores non aliorum modo imagines deformant, sed etiam suæ familiae & quidem Parentum maxime simulacra præoptare solent: ita nec mihi quicquam oblatæ videtur, quo minus has juventutis meae Academicæ primitias in suavissimam meam Matrem, quæ haud ita pridem cum incredibili dolore meo expiravit, & opinione ac metu meo longe celerius in viuis eheu! esse desit, ex pia & grata mente applicem. Si quis igitur miretur, me in ejusmodi argumentum, quod juventuti, tanquam res mortis propinquitate nimis arcta conjuncta, parum alias probari solet, incidisse: is mirari desinet, si perpenderit, nihil magis cum morte dulcissimæ Matri, cuius amore ductus hanc Dissertationem conscripsi, convenire posse quam hujus argumenti elaborationem. Quam quidem si minus bellam atque limatam, mi L. B. judicaveris: sperare tamen licet, eam humanitati Tuæ, quæ omnia in me-

F

liorem

liorem partem accipere consuevit. Etenim mihi hanc Dissertationem conscribenti non id propositum erat, ut ingenii vires, quorum imbecillitatem agnosco, ostentarem, aut temporis in Academia transacti rationem redderem, sed potius ut specimen aliquod singularis meae erga Carissimam Matrem pietatis ederem, ut amoris mei, quo eam vivam complexus sum, sinceritatem ac vehementiam declararem, ut eam, quam vivam nunquam satis digne venerari potui, mortuam quoque aliquo reverentiae filium maxime decentis monumento honestarem, & ut denique doloris mei de morte ejus concepti acerbitudinem quodammodo lenirem. Non enim credo, ullam calamitatem Studioſo Juveni domo absenti acerbiorē esse posse, quam inopinatam alterutrius Parentis amissionem. Si igitur acerbam cuiuslibet rei pretiosae jacturam nemo sapiens lugendam esse negaverit: quis quaeso mihi vitio verat, si praematuram optimae ac suavissimae Matris jacturam, qua nihil pene acerbius esse possit, publico etiam scripto deplorare non dubitem? Matrem enim maximi aestimare et exquisitissima pietate colere jubet ratio, postulat praeceptum Dei. Quum igitur libere profitear, me optimae Matris mortuae amore cumpromis ad consignandam & divulgandam hanc de Jure Epitaphiorum Dissertationem instigatum esse: Te, B. L. facile etiam passurum esse spero, ut ipsa quoque monumenti, in honorem B. Matris meae concinnati, locum sustineat. Non enim mihi obſtitit iniqua illa veterum Romanorum morositas, quae aegre tulit, Matronas ullo statuarum aut monumentorum aliorum generere

nere cohonestari. Nam si, ut PLINIVS (a) testatur, ne-
mo impedire potuerit, quo minus Corneliae Graccho-
rum Matri haud dubio a filiis pretiosissima erecta sit sta-
tua: Quid me impedire posit piae ac Christianae Ma-
tris filium, quem ad exhibendum ejusmodi monumen-
tum patrii mores alliciunt, pietatis Leges adstringunt,
magnorum illustriumque heroum exempla invitant?
Invitant inquam. Quis enim est, qui non admirabili-
lia illa exempla, quae historiarum fides nobis suppedita-
vit, imitari, quam tantum admirari malit? IO. GEOR-
GIVS I. Elector Saxo, quem jamdudum mortuorum eri-
puit regnum, vivit & viget adhuc in vivorum memo-
ria, non tantum ob animi celsi, rerumque splendidissime
gestarum gloriam, sed etiam ob summae erga Ma-
trem pietatis admirabilitatem. Illam uti testantur an-
nales: ita hanc egregie demonstrant & in perpetuum
praedicabunt duac monetae illae, hujus glorioissimi
Electoris jussu confectae; In quarum priori haec egre-
gia sententia insculpta legitur: HONORA MA-
TREM. (b) In posterioris autem monetae latere uno
conspicitur Rex, manutenens sceptrum, ac sedens in
solio, cui adjuncta appetat Regis Mater, ad dextram
ejus itidem in sella quadam confidens, cum inscriptio-
ne: VT SALOMO (c) SIC EGO MATREM 1617. Latus vero
alterum signant manus duae complicatae, aliis duabus
impositae, & ad nubem, supra qua SS. Dei nomen
הַמֶּלֶךְ appareat, erectae, & circum eas haec verba: MA-

F 2

TER-

(a) Hisp. Nat. Lib. XXXIV. Cap. IV.

(b) teste D. ROEBERO P. III. Arc. Triumph. pag. 542.

(c) 1. Reg. II. vers. 19. siccq.

TERNIS PRECIBVS NIHIL FORTIVS. (d) Videsne ex ungue Leonem, imo judicasne ex summe laudabili monumento glorioſiſſimum pietatis erga Matris commendatae exemplum? Sed hic laudatissimus Princeps non ſolus eft ex heroum numero, qui tam eximiae pietatis ſe declaravit memorem. Nam ejus admirabilitas etiam ex auguſtiſſima Domo Brunſvicensi elucet, atque itidem ex moneta quadam, quam heic paucis deſcribemus, apparet. Eft autem illa funerea, Sereniffimam Viduam HEDWIGIAM, Ser. Ducis IVLII olim conjugem ab ejus filio confecta, in cuius latere uno Inſignia Brunſvicensia, a viro tetrico manu apprehenſa, conſpi- ciuntur, circumjectis verbis: HENR. IVL. D. G. P. EP. HALB. D. BRV. E. L. In altero latere haec legitur Inſcriptio: D. M. ILLSS. PRINC. DN. HEDWIGI. MARCH. BRAND. D. BRVNS. ET. LVN. VIDVÆ. MATRI. DILEC. F. F. OBIIT. XI. CAL. NOVEMBRIS. ANNO. M DC II. VIXIT. ANN. LXII. ME. VII. D. XX. (e) Quibus exemplis glo- riosis & ad memoriam ſatis inſignibus, ſi curioſitas no- tra ſatiari nequeat, perſcrutari ei licet antiquitatem, quae itidem mirabilium exemplorum nunquam non plena eſſe ſolet. Non minus autem mirabile quam ju- cundum eft ſplendiſiſſimum illud monumentum, quod SIMON Iudeorum ille Dux atque heros glorioſiſſimus mortuae Matri ac familiae ſuae erexiſſe legitur in Mac- cabaeo-

(d) Hujus monetae ut & aliarum ejusdem Autoris men- tionem quoque facit *Dn. TENZELIVS in Monatl. Un- terredungen an. 1695. Mens. Julio, pag. 554. seqq.*

(e) vid. *TENZELIVS c. l. p. 557. seq.*

cabaecorum historia. (f) Imo mirabilius adhuc est illud pietatis amorisque erga Matrem exemplum, quod PLUTARCHVS diligentissimus heroicarum virtutum scriptor & admirator memoriae prodidit, de P. Sertorio (g) scribens: Πιθόμενος τὴν τελευτὴν τῆς μητρὸς, ὅλιγος ἐδέησαν ὑπὸ λύπης προέδωσαν βίου. ἐπταῦ γαρ ἡμέρας ὑπε σύνθημα δέει, ὅτε ὁφθεῖς τινι τῶν φίλων ἔκειτο. Non placet nec expedit nobis, diu hic disputare, num tantus dolor de morte matris conceptus tantum condecorat heroem, quantus Sertorius fuisse dicitur. Nam quicquid naturae insitum, impressum atque insculptum quasi est, & quicquid natura volente, urgente imo cogenite fieri solet, id quidem sapienter moderari, non autem ulla ratione expellere poteris, quamvis virtute Achillem & animi robore Herculem Tibi exaequare videaris. Si quid autem in hoc exemplo pervestigandum putem, illa mortuae virtus est, quae in filio heroe tantum luctum excitare potuerit. Etenim virum tanta fortitudinis gloria excellentem gravi causa destitutum tam vehementer luxisse credibile non est. Verum quantumcunque virtutis laudem Matri hujus Ducas affingas, illa tamen non meliori jure cum Matrona Christiana, quam Barbara forte Cilicia cum Zenobia, & ulula cum manucodiata comparari poterit. Si enim saluberrima divinae gratiae lux hominum mentibus non oborta est, omnes eorum actiones, quas virtutum nomine condecorant, minus hoc nomen, quam Simio-

F 3

rum

(f) Lib. I. Cap. XIII. vers. 27. sqq.

(g) in exponenta ejus vita, Tom. I. Opp. p. 580.

rum gesticulationes laudabilium factorum opinionem sustinere queunt. Carent enim recta virtutis norma, carent accurata virtutis institutione, carent ipso denique virtutis fundamento. Quam autem Matronam haec rectioris virtutis ornamenta deficiunt, illius jactura tam flebilis ac luctuosa non est. Quid! Si B. Matri meae vitam modeste percurrere liceat, haud dubie longe potiores causas maturum ejus obitum lugendi offendam. Mea enim, quam amisi, fuit Christiana, hoc est, omni virtutum, quibus hoc nomen continetur, laude condecorata. Siquidem nativitatis ingenuitatem, educationisque honestatem ita ornaverat, ut Parentes de eximia indolis filia, Maritus de suavissimae virtutis socia atque exoptatissima Matrefamilias, filii ac filiae de dulcissima Matre, tota familia de acceptissima cognata, ac pauperes denique de benignissima Matrona gaudere potuerint. Quam quidem laudem non adepta fuisset, nisi secundum sanctissima Christi praecepta, (quae in omnibus rebus tanquam normam & exemplar intuita est) vitam suam conformare studuisset. Sacrarum enim literarum lectioni ita quotidie dedita fuit, ut quoties eas perlegerat, toties relegere gauderet. Non dicam quanto studio Libros Scriveri, Lassenii, aliasque plures perlustraverit. Orationes enim divinae uti ei per omnem vitam eximio erant oblectamento : ita in calamitatibus, quas identidem perpessa est, unicum solatium ex earum perlustratione repetere consuevit. Quod etiam testatur dictum ejus funebre (h) ab ea jam ante

(h) ex Ps. XCIV. vers. 19. depronatum.

ante XXX. annos selectum, propterea quod illud cum statu & conditione sua mirifice congruere intellexerat. Nam & calamitatem & consolationem usque ad ultimum vitae halitum non mediocriter sensit. Calamitosum enim erat, omnes liberos usque ad unum morte amittere, calamitosum erat, per multos saepe dies sensu divinae gratiae ac fidei destitui, calamitosum erat, nimia morbi diuturnitate tentari, ac nimis longa angoris gravitate premi, calamitosum erat, in doloris velimenti omni solaminis suavitate privari, calamitosum immo miseratione dignum erat, apertis fenestris coelum intueri, & omnibus collectis viribus a DEO redemptionem petere. Sed num in perpetuum durat calamitas, dolor corporis & angor animi? Num nulla redemtionis spes reliqua est? Haudquaquam. Post nubila Phoebus. Sublatis omnibus calamitatis tenebris resulget jucundissima divinae misericordiae lux, devictis Satanae & omnis generis temptationibus appetit IESVS, tanquam summus iustitiae Sol, redemptor & Salvator, qui amplectitur animum redemtionis cupiditate flagrantissimum, ornatque eum aeterna perfectissimae beatitudinis corona. Hac autem Matrem meam defunctam nunc condecoratam splendere, visiones, quae biduo ei ante mortem contigerunt, haud obscure significant. Ipsa enim vigilans IESVM manu praebita, se abducere volentem, & pridie quam expiravit, subito lucidam quandam speciem & manum sibi perbellum fascillum eximiis floribus refertum porrigitem, quippe floribus illis caput suum ornaturam, vidisse sibi visa est. Non me hic terret illud, quod ii de hujus gene-

ris

IVQ

ris visionibus sentiant, qui semper has narrationes pro vanis deliramentis & inanibus phantasmatibus habere consueverunt. Etenim quibus visionibus proximae redemtionis praenuntiis gratus respondet evenitus, eae ad deliramentorum numerum non satis caute referri solent. Quare nullus dubitandi restat locus, quin & mea tot laetis auguriis communia dulcissima Mater e vita beate discesserit. Qui quidem discessus, quem valde praematurus sit, filium absentem non potest non contristare; Quum tamen beatus fuerit, omnem ille consolationem respuere nec potest, nec debet. Quae consolatio, uti ex hac Epitaphiorum consideratione quodammodo orta & aucta, ita Epitaphiis nonnullis Familiae meae firmando, atque supremo pietatis in jucundissimam Matrem monumento signanda erit. Primum ergo, prout mortuorum, quorum Epitaphia super sunt, ordo postulare vifus est, in hac carta locum damus illi, quod in memoriam B. Avi mei positum, atque sequentibus verbis conceptum est:

D. O. S.

GVILIELMO. DIEZIO

GEISLINGAE. M DC XXIII. NATO

ARGENTOR. IN. DOCT. PHIL. PROMOTO

VLM. GYMNASII. RECTORI

ELOQ. GRAECAEVE. LING. PROF.

NEC. NON. BIBLIOTHECARIO

VIRO. IN. EXEMPLVM. PIO

ERVDITIONE. VETERIBVS. COMPARANDO

QVI

QVI

IMMITIBVS. FATIS. PRIMA. AETATE. AGITATVS
LAETIORA. DEINCEPS. EXPERTVS
INSIGNIBVSVE. HONORIBVS. ORNATVS
DISCIPVLIS. PRAETEREA. INNVMERIS
ERVDITIONIS. HAEREDIBVS. RELICTIS
IN. PACATA.ILLA. SE. RECEPIT
ANNO. OFFIC. SCHOLAST. XLIV
AETATIS. LXXII. SECVL. XCIV. PRID. KAL. IVLII
MONVMENTVM. HOC
OPTIMO. PARENTI. CVM. LACRYMIS. POSVIT
FILIVS. NATV. MAXIMVS
MARCVS. CVNRADVS
SER. ELECT. SAX. ARCHIT. ET. STATVAR.

† † †

SAXVM. Isthoc. CLAVDIT. DIEZAEI. CORPORIS. VMBRAM
ORBIS. HABET. FAMAM. SPIRITVS. ASTRA. PETIT.
B. Avum justo heic ordine excipit Patruus, hujus Epitaphii, ut ex adscripto nomine liquet, Autor; Nam illum praeceuntem secutus est, ad eundem quidem finem, & eandem beatitudinem, sed non eadem mortis felicitate usus. Etenim ad triginta trium illorum Serenissimum Poloniae Regem comitantium numerum aggregatus fuit, qui incendio illo detestabili, annum super sesquimillesimum ducentesimum quartum insignente, & Petrowinum Poloniae vicum denotante, cheu-

G

miser-

miserrime & crudelissime perierunt. Quum igitur eandem mortis atrocitatem cum illis perpessus sit, idem cum illis epitaphium habet; quod non tantum per se, sed & ob autorem ejus, Illustrissimum belli Ducem de VENEDIGER hoc translatu dignum visum fuit:

Triginta trium Aulicorum

offa,

quorum nonnulla & origine illustria

& virtute praelara,

alia

non nisi gratia & honore,

quod magno inserviverint Principi,

nota fuere,

unus hic tumulus

tegit.

Quaeris Viator, quare?

sic fata volebant.

Vno enim incendio cuncti

periere.

Et quos natura,

& qualitate & dignitate,

adeo

non

non pridem distinxerat,
fors
aequali mortis genere
aequavit.

O fluxam hominum gloriam!
quae tam lubrico stat pede.

quod
nec herus a servo
nec doctus ab indocto
vel post unam etiam horam
jam dignosci possit.

Homo.

mirare
fragilitatem tuam
nullitatem honorum & bonorum
vanitatem omnium.

cave
non corporis, non fortunae
confidere dotibus,

quas
vel praestantissimas

G 2

unum

*unum etiam momentum
delet, rapit, destruit.*

*cerne
et in hoc tumulo
quam verum illud:
Mors omnia aequat.*

*Disce
horum habere curam,
quae sunt perennia.*

*Venit enim
Dies ille terribilis,
quo
simile his fatum
cuncta subibunt*

Nunc autem denique ad Te, B. Mater venio, Epitaphio
Tuo has primitias Juventutis meae, ad quas conficien-
das mors Tua, mihi acerbissima primum instinctum de-
dit, obsignaturus:

LECTOR

EPITAPHIORVM.

51

LECTOR

PARVMPER. SISTE

LEGE. MIRARE. LVGE

MONVMMENTVM. HOC

POSITVM. EST. IN. MEMORIAM

CATHARINAE. VRSVLAE

MATRONAE

QVAM. MIRABERIS

FVIT. ENIM. ANIMI. ET. CORPORIS. DOTIBVS.

MIRATV. DIGNA

LVGEBIS

FACTA. ENIM. EST. IRREPARABILIS

QVAERISNE.

QVAE. QVALIS. QVANTA. FVERIT?

NATA. EST. VLMAE

PRID. ID. OCTOBR. A. C. CIO. IOC LXVI

ORTA

E. DOMO. ET. FAMILIA

ZECHIANA

IN. INCLVTA. AC. LIBERA. S. R. I. REPVBLLICA. VLMENSI

ET. TOGA. ET. SAGO

VALDE. CONSPICVA

G 3

A. TE-

A. TENERIS
PIETATE
AC. OMNI. GENERE. VIRTVTVM. MVLIEBRIVM
IMBVTA
SPECVLVM. FOEMINEI. SEXVS
SESE. EXHIBENS
AN. AET. XXII. POST. C. N. CIO IOC XXXIX
D. XIX. CAL. SEPT.
MATRIMONII. SIBI. FOEDERE. IVNXIT
DN. M. IO. GVIL. DIEZIVM
TVNC. DIACONVM. NVNC. PASTOREM
APVD. LEIPHEIMENSES. VIGILANTISSIMVM
IN. QVO. ET. CVM. QVO
VIXIT. ANNOS. XXX. CVM. DIMIDIO
AC. QVAMDIV. VIXIT
FVIT. PROBA. FVIT. VTILIS. FVIT. IVCVNDA
HINC
A. MARITO. ARDENTISSIME. AMATA.
FVIT. ET. FRVCTVOSA
DVODECIES. ENIM. FACTA. MATER
TOT. EI. EX. SE. DEDIT. PIGNORA
QVINQUE. SIBI. SEPTEM. ILLI. SIMILIA

HORVM

HORVM

XI. NON. AMISSIS. SED. PRAEMISSIS

VNICVM. TANTVM. RELIQVIT

FILIVM

QVI. PROPTER. INELVCTABILEM. IACTVRAM

ETIAMNVM

DOLET. LVGET. MOERET

IPSA. ENIM

QVAE. PRIOR. INTRAVERAT. PRIOR. QVOQVE. EXIIT

ATQVE

ANN. AET. LII. O. R. d^occ XIX. III. CAL. MART.

EX. HOC. MVNDO. AD. DEV^M. ABIT

CORPV^S. VERO

CVM. EX. TERRA. FACTVM. SIT

TERRAE. REDDI. VOLVIT

HOC. TE. SCIRE. VOLEBAM

LECTOR

ABI. ET. VALE.



MANUSCRIPTA

LIBRARY

THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF LEIPZIG

UNIVERSITY LIBRARIES OF LEIPZIG

LIBRARY

MANUSCRIPTS IN THE LIBRARIES OF THE UNIVERSITY

LIBRARY

COLLECTED FROM THE LIBRARIES

OF THE UNIVERSITY OF LEIPZIG

IN THE LIBRARIES OF THE UNIVERSITY

MANUSCRIPTS IN THE LIBRARIES OF THE UNIVERSITY

MANUSCRIPTS IN THE LIBRARIES OF THE UNIVERSITY

LIBRARY

MANUSCRIPTS IN THE LIBRARIES OF THE UNIVERSITY

MANUSCRIPTS IN THE LIBRARIES OF THE UNIVERSITY



E Matris tumulo **TIBI** nata occasio scripti,
E scripto surgit nunc **TIBI** dignus honos.
Hoc pede pergenti Patriæ veniet quoque Laurus,
Aevo quam memori haud eximet ulla dies.
SIC **TIBI** faustus honos! si hoc Doctissime DIEZI!

Praesagit Studium fata futura TVVM

Gratulatus ex voto Nobilissimo Dn.
Respondenti & Auctori huius Differ-
tationis hæc apponere voluit

Opponens

IO. HENRICVS HARTLEBEN,
I. V. D. & Serenissimi Ducis
Saxo- Isenacensis
Consiliarius.

Hielegt man Gelehrten sonst ein Denkmahl
aufzusetzen,
So zeugt von ihrem Ruhm ein Holz, ein tod-
ter Stein,
Wie soll man Dein Verdienst vielleicht in Marmor
ätzen?

O! das ist viel zu schlecht, es muß was bessers seyn.
Ein jeder der Dich kennt, und Deine grosse Gaben,
Der spricht: Du sollst an uns ein Lebend Denk-
mahl haben.

Hiermit wollte dem Herrn Autori wegen
rühmlichst abgelegten Speciminis schuldig-
ster massen gratuliren

Dessen Ergebenster
I. G. v. LENGERKE.
Opponens.

Gott sonst die Ewigkeit von unsren Thaten
lesen,
So zeigt die Uberschrift, was unser Ruhm gewesen,
Die eine fluge Hand in Erz und Marmor ächt,
Und unsrer Richtigkeit zu einem Denckmahl setzt.
So wird das sterbliche dem sterblichen entnommen,
Und unsre Tugend muß zur späten Nachwelt kommen,
Wenn ein beliebter Stein die Asche überdeckt,
In welchen Fama selbst viel Ehren-Fahnen
steckt.
Erlaube wehrter Freund, daß ich mich darff erkühnen,
Dein Epitaphium auch schriftlich zu bedienen,
Das Dein geschickter Geist sehr finnreich auf-
geführt,
Und die gelehrte Welt mit ihrem Lob-Spruch ziert.
Wobey ich recht vergnügt will Ehren-Säulen
hauen,
In welche meine Hand soll diese Worte hauen:
Verwesung zähme dich, hier ist dein Recht besiegt,
Weil Unverweslichkeit hier eingegraben liegt.

Durch diese wenige Zeilen wolte seine sonderbare Hochachtung
vor den Herrn AVTOREM am Tag legen, und sich zugleich
nebst schuldigster Gratulation fernerhin bestens empfehlen

IO. CHRISTIAN PHILIPP DE KVNSBERG,

L. N. F. E.

Opponens.

QUOD TIBI perdocti atque pii Patris aemula
mens sit,

Doctrinae solidae splendida signa probant;
Quod virtus Matris vivat post fata superstes,

Id monstrat pietas viva & imago TVA.

Sis felix semper, bona TE fortuna sequatur,

Fata TIBI porro prosperiora fluant.

Haec

Praenobilissimo Dn. DIEZIO, in amicitiae tesse-
ram, siveque commendationem gratulabun-
dus apposuit

GEORG. GUILIELM. DE KVNSBERG.

Eques Francus.

PRomeritas laudes nolo compescere DIEZI
Dum Pallasque Themis prospера vota fe-
runt.

Hoc virtutis honos, hoc admiranda meretur
Sedulitas, Probitas, ingeniique decus.
Est mihi prona quidem, modo non sit laudibus
impar

Mens obstricta mea, haud scribere plura queo.

Hisce Nobilissimi atque Doctissimi Dn. RE-
SPONDENTIS atque amici integerrimi lau-
des debitas conticere non potuit, insu-
perque de singularis eruditio[n]is Specimine
animatus gratulatus est

JOANNES GEORG. Fischer/
Graefenthaliensis.

DOctrinae sortem quando exegere Camoe-
nae,

DIEZ studii usuram reddidit ecce sui;
Atque satisfecit. Cupiunt ea nomina Musae,
Perpetuo sortem foenore qui superent.
Doctrinam comitatus honos, comitabitur ergo
Ipsum dignus honos sedulitate sua.

His paucis Nobilissimo eruditissimae Dissertationis
AVTORI, Fautori atque amico suo aestuma-
tissimo de egregio Specimine gratulatur

IO. THEOD. SIMON,
Coburgo - Francus.

ERRATA:

- pag. 1. lin. 9. pro boni, lege bona.
pag. 12. lin. 23. pro fueris, l. funeris.
pag. 13. lin. 12. pro monte, l. morte.
pag. 16. lin. 3. PRO VEPIANO, l. VPIANO.
pag. 17. lin. 21. pro nicht ihn, l. ihn nicht.
pag. 18. lin. 23. pro supultura, l. sepultura.
pag. 19. lin. ult. pro num. 5. l. pos. 5.
pag. 22. ad fin. si. 24. adde: pro fundamento tamen ponit, testa-
mentum non corruere.
pag. 25. lin. 25. pro alias, l. alias.
pag. 29. lin. ult. pro honefta, l. honestior.
pag. 39. lin. 6. pro conspecta, l. conspectu.
pag. 40. lin. 1. post verba: accipere confuevit, adde: non omnino
improbatum iri.
pag. 41. lin. 3. pro haud dubio, l. haud dubie,

Jena, Diss., 1720




3

5b.

KD18





1720, 14
18
(72)

DISSERTATIO IURIDICA
DE
**IVRE
EPITAPHIORVM**
QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE, IVLLAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, GVESTPHALIAE,
RELIQVA,
CONSENTIENTE ILLVSTRI ICTORVM ORDINE
PRÆSIDE
VIRO AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO
DOMINO
NICOLAO PRAGEMANNO
PH. ET I. V. D.
AVLÆ AC REGIMINIS SAXO-VINARIENSIS
ADVOCATO ORDINARIO
PATRONO, PRÆCEPTORE AC HOSPITE SVO
ÆTATEM DEVENERANDO
DIE VII. DEC. A. O. R. M DCC XX.
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT
AVTOR
SAMVEL DIEZ
VLMA - SVEVVS.

IENÆ LITERIS FICKELSCHERIANIS.